



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 An in creaturis suppositum addat naturæ aliquid positivum reale, & ex
natura rei distinctum ab illa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

rialiter ex parte naturæ; non vero formaliter in ratione & modo incommunicabiliter subsistendi. Quod quidem est verum quoad generalem rationem primæ substantiæ vel suppositi: tamen quia intellectus & alioris rationis ab inferioribus naturis: ideo dici potest persona differri à supposito etiam in ratione subsistendi, tanquam particulare à communi, seu tanquam dignissima species à communi genere. Non quod propria ratio generis & speciei in his reperiatur, sed proportionalis, nam intellectualis natura, si sit pure ac perfecte intellectualis, habet subsistentiam omnino immaterialem, si vero sit rationalis, simulque sensibilis ac corporalis, et etiam habet subsistentiam spirituales, vel saltem compositam ex aliqua materiali & spiritali, ut inferius declarabimus: hoc ergo modo differret persona à supposito in communi.

De hypostasi.

XIV. Deo quarto Hypostasis iuxta frequentiore huius vocis usum, idem est quod suppositum, vel persona. Hæc assertio solum pendet ex notitia & significatione huius vocis *hypostasis*, quæ Græca est, & varias habet significationes. Derivata enim est vox illa à verbo græco, *hypo*, vel, *infra*, cum præpositione, *stasis*, quod subesse, vel subitare significare potest, unde hypostasis olim significabat id omne, quod aliis subidet, ut feces, vel materiam crassam, quæ in liquorum fundo subidet, quomodo intelligi potest illud Psal. 67. *Infansum in limo profundi, & non est substantia*, græce *hypostasis*, id est, & non est fundum, in quo consistat. Significat deinde rei fundamentum, ut de fide ait Paul. ad Hebr. 11. *Est substantia rerum sperandarum*, græce *hypostasis*, id est, fundamentum. Verum quia subsistere proprie convenit substantiæ, & illa est quasi fundamentum omnis rei existentis, ideo hæc vox derivata est ad substantiam significandam, vel absolute, vel specialiter substantiam singularem, & incommunicabilem, ut notavit Damasc. in sua Dialectica cap. 29. Unde quia vox Latina, *substantia*, æquiuoca est, & essentiam interdum significat, ideo interdum usurpata est illa vox ad essentiam significandam, ut notat Elias Cretenensis in orat. 23. Nazianzen. §. illud item præscribere, & constat ex Theodoro lib. 2. histor. cap. 8. Et hac ratione D. Hieronymus citata epistola ad Damasum, recusabat tres hypostases in Trinitate concedere, quod etiam de Paulino refert Acacius in epistol. ad Cyrill. Alexand. Iam vero ad tollendam hæc æquiuocationem tam usu græcorum quam latinorum harum vocum significationes definitæ, & distinctæ sunt. Substantialis enim natura, quatenus à supposito vel ratione distinguitur, græce vocatur *Usia*, latine essentia. Substantia vero singulariter subsistens, & incommunicabilis aliis similibus substantiis, sicut latine dicitur suppositum & persona, ita Græce vocatur hypostasis, unde sicut nos tres personas, ita Græci tres hypostases in Trinitate admittunt, & hoc modo levis discordia, quæ ob vocabulorum inopiam inter Catholicos Latinos, & Græcos, oriri coepit, cessavit, ut eleganter dixit Gregorius Nazianz. orat. 21. quæ est in laudem Athanasii circa finem. Iam ergo communi usu, etiam Latinorum vox hypostasis in hac ultima significatione fere semper usurpatur. Et interdum generaliter accipitur, ut significat rem subsistentem incommunicabiliter in quacunque natura, & ita idem significat quod suppositum, & hoc modo ait D. Thom. personam addere supra hypostasin, determinatam naturam scilicet rationalem qu. 9. de potentia artien. 1. in fine corporis: aliquando vero ut ibidem in solutione ad secundum addit, licet nomen hypostasis in Græco ex proprietate sermonis significet individuum substan-

tiam cuiusque naturæ, ex usu loquentium significat individuum rationalis naturæ tantum. Sicigitur constat quomodo idem sit hypostasis quod persona iuxta varias significationes.

Addit vero ibidem D. Thomas, hypostasin & subsistentiam esse idem secundum rem, differre tamen ratione: eadem enim prima substantia quatenus subsistit dicitur subsistentia, quatenus vero substat, dicitur hypostasis. Sed, quod ad nomen hypostasis attinet, licet fortasse ab illa habitudine impositum sit, non tamen illam significat, imo nec semper in re significat illam requirit: diuinæ enim personæ sunt propriissime hypostases, quamvis non subsistent. Imo etiam quoad etymologiam, quamvis hypostasis dicatur quasi *substantia*, nihilominus dici potuit à subsistendo, nam, ut alibi dixit idem D. Thom. subsistere dicitur aliquid in quantum est sub esse suo, non quod habeat esse in aliquo sicut in subiecto, sed quod, cum per se sit, & quasi in se sustentetur, ipsum sit quod si primum subiectum, seu fundamentum sui esse. Quod vero attinet ad nomen subsistentiæ, iam dictum est supra, si sumatur in vi abstracti, non significare ipsam rem subsistentem, sed rationem subsistendi, quæ si in communicabilitatem includat, est etiam ratio constituens hypostasin, si vero sumatur in vi concreti & incommunicabilis subsistentia, idem est quod hypostasis, & suppositum. Alioquin ex vi significationis & rationis significatæ latius patet subsistentiam quam hypostasis, saltem in Deo, in quo potest esse subsistentia communicabilis: in creaturis vero convertuntur, & eodem modo inter se comparantur, quo prima substantia & suppositum, propter easdem rationes superius factas.

SECTIO II.

An in creaturis suppositum addat naturæ aliquid positum reale, & ex naturæ rei distinctum ab illa.



Explicitis terminis, de re ipsa dicere oportet, & quod de supposito quæritur respectu naturæ seu essentia substantialis, intelligendum est de persona respectu naturæ rationalis, & de cæteris eadem proportionem, quibusque nominibus significatur.

Explicatur quæstionis titulus, & variæ quæstiones proponuntur.

UT autem quæstionis titulus distinctius intelligatur, advertendum est, essentiam substantiæ creatæ variis modis concipi ac significari posse, scilicet, in concreto, & in abstracto, ut cum dicimus humanitatem esse essentiam Petri, aut hominem. Item in communi, ut in dictis exemplis, vel in singulari ut cum dicitur hæc humanitas esse de essentia huius hominis, Christi verbi gratia. Item vel conceptu simpliciter & quasi confuso, ut cum species dicitur esse essentia individui, ut homo Petri, vel conceptu complexo & distincto, qui per definitionem declaratur, ut cum dicimur essentiam hominis esse animal rationale. Ex quibus concipiendi modis variæ insurgunt comparationes, & quæstiones. Prima est abstracti ad concretum in particulari & singulari, ut quomodo distinguatur hic homo Petrus ab hac humanitate. Secunda est abstracti etiam ad concretum in communi, ut quomodo homo & humanitas distinguantur. Et similiter in cæteris prædicatis communibus cum eadem proportionem. Tertia, comparando essentiam in communi ad individuum & particulare, ut quomodo distinguatur homo à Petro seu hoc homine. Et posset etiam hæc comparatio per concretæ & ab-

abstracta variari, comparatio nimirum concretum commune ad singulare abstractum ut hominem ad hanc humanitatem, vel e converso abstractum commune ad singulare completum, ut humanitatem ad hunc hominem, vel abstractum ad abstractum, &c. Quarta comparatio fieri potest essentiae distincte conceptae ad id de quo concipitur, id est, definiti ad definitionem. Quo sensu existimant multi tractasse Aristotelem in libr. 7. huius operis quaestione illam, an quod quid est, sit idem cum eo cuius est.

Hae ergo postrema comparatio aliena est a praesenti instituto, & quaestionem continet potius Dialecticam quam Metaphysicam, & communem tam accidentibus quam substantiis: eam tamen obiter attinamus, & definimus, sententiam Aristotelis explicantes. Rursus tertia comparatio propriam quaestionem continet de distinctione naturae uniuersalis ab indiuiduis, quae a nobis in superioribus tractata est, & eandem habet definitionem siue concretum ad concretum, siue abstractum ad abstractum comparatur, id est, homo ad Petrum, vel humanitas ad hanc humanitatem. Alia vero duo membra huius comparationis non addunt quaestionem nouam, sed miscent duas primas cum hac tertia: & ideo illarum quaestionum definitio: responsionem ad haec omnia continebit. Prima ergo & secunda comparatio ad praesentem disputationem spectant: in prima vero maxime cernitur, & communiter tractatur eius difficultas, id est, de illa prius dicemus, & ex illa facile in fine totius disputationis alteram definimus. Igitur naturae nomine intelligimus singularem substantiam continentem integram & completam essentiam indiuidui seu suppositi in abstracto sumptam, quae a Metaphysicis dici solet forma totius, ut est haec humanitas consistens ex hac anima, hoc corpore seu his carnibus & his ossibus. Quid autem nomine suppositi intelligatur iam satis declaratum est.

Tractatur prima sententia de distinctione rationis suppositi à natura.

Prima igitur sententia, est naturam & suppositum sola ratione distinguere ex modo concipiendi nostro in abstracto vel in concreto. Hae existimatur esse sententia Aristotelis 7. huius operis libro & cap. 11. ubi definit, quod id est, esse idem cum eo cuius est. Et in primo libr. cap. 1. ait actiones esse singularem, per singulare intelligens suppositum: unde ex illo loco axioma illud sumptum est, *Actiones sunt suppositorum*. Atque idem sensisse videntur omnes Philosophi, qui nostrae fidei mysteria ignorarunt. Sed, quod mirum est, etiam ex Catholicis Theologis docuerunt hanc sententiam Durandus in 1. d. 34. quaestione 1. & Henricus quodlibet. 4. q. 4. Ex qua sententia plane sequitur has locutiones esse veras, homo est humanitas, & Petrus est sua humanitas, quas locutiones etiam Durandus admittit. Fundamentum eorum solum est, quia suppositum verbi gratia Petrus nihil aliud est quam hoc compositum ex hoc corpore & hac anima, & hoc ipsum est eius humanitas, & quicquid praeter hoc cogitur in substantia Petri, intelligi satis non potest, nedum probari aut persuaderi.

Sed haec sententia quamuis fortasse sola ratione naturali non possit conuinci falsitatis, tamen supposito, incarnationis mysterio defendi nullo modo potest, quia secundum fidem in re ipsa humanitas singularis fuit assumpta, & vnita hypostatice Verbo diuino, non fuit autem assumptum suppositum creatum & humanum: ergo necesse est, ut in re aliqua intercedat distinctio inter hanc humanitatem & primum suppositum eius, quandoquidem illa manet in Christo, hoc autem minime, eadem autem est ratio de illa humanitate, & de omnibus creatis naturis praeter materialibus. Item est humanitas, quae

est in Christo, est singularis natura creata, & non est suppositum creatum: ergo aliquid illi deest, quod suppositum addit ultra naturam singularem. Dices non deesse illi aliquid, sed potius aliquid habere, ratione cuius non est suppositum creatum, nimirum, quia est in Verbo, quod proprie dicitur habere humanitatem: ipsa vero humanitas dicitur esse in Verbo tanquam forma in supposito, & ideo humanitas illa non potest dici suppositum, neque homo, quia habet alium modum essendi, ratione cuius est potius in alio, quam in se. Sed haec responsio declinat in opinionem Scoti statim tractandam, quod suppositum differat à natura per aliquid negatiuum, & non quia addat illi aliquid positiuum: nam haec responsio supponit, ad rationem suppositi, praeter totam entitatem naturae, requiri negationem vnionis ad aliud, seu carentiam modi existendi in alio: hoc autem discrimen iam non est per rationem tantum, sed in re ipsa, & statim probabimus hanc differentiam non tantum esse positam in negatione, sed aliquid etiam positiuum includere.

Adde antiquos Patres saepe decessisse hereticos ideo in potissimis mysteriis fidei Trinitatis, scilicet, & Incarnationis errasse, quod inter naturam & personam non distinxerint. Ita significat Vigilii Pap. lib. 2. contra Euthychen prope medium: clarius Damascenus lib. 1. de fid. capit. 3. optime Eriphian. in VII. Synod. act. 6. tom. 3. circa finem. Ideo (inquit) haeretici errant, quia nihil aliud agunt quam ut ostendant naturam & hypostasim idem esse, quae sane inter se differre veri Ecclesiae Catholicae alumni cognoscant. Rursus docent saepe Sancti Patres, proprium Dei esse ut sit essentialiter subsistens, & quod ea de causa Deus & Deitas sola ratione, & modo significandi seu concipiendi nostro distinguantur, ut Magist. & Theologi tractant in primum distinctionem. 8. & D. Thom. ac expositores eius 1. part. quaest. 3. artic. 3. & 4. & significat Leo Pap. Epistol. 93. capit. 5. August. libr. 11. de ciuit. capit. 10. & libr. 15. de Trinit. capit. 17. Ansel. in Monolog. cap. 15. & 16. & optime Bernard. serm. 80. in Cantic. & Magister refert Patres alios, alique sumi possunt ex his, quae disputauimus in 1. Tom. 3. part. disput. 11.

Nec fundamentum positum in contrarium vrger, nam si materia & forma sumantur praecise ut sunt partes essentiales, negatur suppositum nihil aliud esse quam compositum ex hac materia & hac forma, nam Christi humanitas est composita ex hac materia & hac forma, & non est suppositum: si vero materia & forma sumantur non solum ut partes essentiae, sed etiam ut includunt vel secum afferunt subsistentiam, sic verum est, & ex materia & forma vnitis consurgere suppositum, illud autem praeter naturam includit subsistentiam, de qua quid sit & quomodo possit & intelligi & probari dicemus in sequentibus.

Tractatur secunda opinio Scoti.

Secunda opinio est Scoti in 3. distinct. 1. quaestione. 1. & distinct. 6. quaestione. 1. & in 1. distinct. 13. & quodlibet. 19. articulo. 3. qui ait, suppositum creatum nihil rei positiue addere naturae singulari, sed solum negationem dependentiae actualis & aptitudinalis ad aliquod suppositum: humanitas enim Christi suppositum non est solum quia substantialiter est vnita Verbo, & ab illo pender: ergo negatio huius dependentiae est de ratione suppositi. Addit vero Scotus, etiam esse necessariam negationem aptitudinalis dependentiae propter animam rationalem, quae non solum dum corpori vnita est, non est suppositum, quia actu est in supposito, verum etiam dum est separata suppositum non est, quia apta est pendere à supposito, seu potius illud componere. Quod si obiciat, etiam humanitatem Petri non posse

VI.

VII.

VIII.

posse dici suppositum, quia apta est vniri, verbi gratia, Verbo diuino, responderet Scotus, negando, esse aptam, sed solum non repugnantem, quod est dicere, non esse aptam potentia & aptitudine naturali, sed capacitate tantum obedientiali. Quando autem actu assumitur vel vnitur, quamuis re vera retineat eandem negationem aptitudinis naturalis, amittit tamen negationem actualis dependentiæ, per actualem vnionem, & ideo definit esse suppositum vel persona. Et hanc opinionem sic expolitam sequuntur Scotistæ in 3. distinct. 1. Bassolis quæst. 1. artic. 1. Maironis quæst. 11. Lychetus autem ibi quæstion. 1. quamuis eam probabilem censeat, existimat tamen Scotum non omnino illi adhaesisse, & facile solui posse argumenta, quibus nititur: ac denique oppositam re ipsa esse probabiliorem: in quo discedit aperte à mente Scoti: quamuis id fateri rectius: Aureolus etiam apud Capreolum in 3. distinct. 5. quæst. 3. multis argumentis contendit, non posse creatum suppositum addere supra naturam aliquid positium. Atque idem sentit Gabr. in 3. distinct. 1. quæst. 1. vbi addit alias negationes, quæ sunt de ratione suppositi, scilicet, vt non sit actu pars integralis propter partes aquæ & similes: item vt nec constituat formaliter aliquid per se vnum, propter diuinam essentiam, & similes: quæ sumptis ex Ochamo eodem 3. quæst. 1. & idem sentit Marfil. in 3. quæstion. 1. artic. primo.

IX. Fundamentum horum Authorum potissimum fuisse videtur, quia huiusmodi negationes sufficiunt ad constitutionem suppositi creati, & ad declarandum Incarnationis mysterium, ergo superuacaneum est, aliquam realitatem positium fingere, quam suppositum creatum addat. Quia nectalis entitas esse potest substantia, neque enim est materia, neque forma, nec compositum, neque accidens, quia alias suppositum creatum non esset per se vnum. Addit etiam Scotus, non recte posse intelligi Incarnationis mysterium, & ea quæ de illo Patres docent posito illo positium: inde enim fieret, illud positium neque esse assumptum, neque assumptibile à Verbo, atque ita non assumpserit Verbum omnem rem quam in natura humana plantauit contra Damasc. lib. 3. capit. 6. Sequitur deinde humanitatem Christi carere aliqua perfectione maxima, connaturali homini, quod etiam videtur inconueniens. Sequitur denique non posse Verbum diuinum simpliciter dimittere humanam naturam, quin nouam aliquam rem illi addat. Ac tandem sequitur, humanitatem nunc violenter esse in Verbo, quia caret positium perfectione connaturali.

X. Hæc sententia, si attente inspiciatur, solis verbis differt à præcedente: nam etiam Durandus fatetur in natura substantiali completa necessariam esse carentiam vnionis hypostaticæ ad alienam personam, vt possit suppositum appellari. Quapropter non minus falsam sententiam hanc esse iudico, propter rationes Theologicas, nam de Metaphysicis postea dicemus. Primo enim mysterium Trinitatis intelligi non potest, si ratio formalis suppositi in negatione consistit: alioqui tres personæ diuinæ tribus negationibus constituerentur, quod tantum abest, vt Scotus concedat, vt probabile censeat, non solum esse necessarias tres relationes, sed etiam tres rationes personales absolutas, quibus personæ illæ constituentur: sana autem doctrina docet illas personas realibus ac posituius rationibus constitui, quamuis relatiuis: si ergo in diuinis persona addit naturæ aliquid positium, quamuis ratione tantum distinctum: ergo etiam in creatura addit aliquid positium, in re tamen distinctum propter imperfectionem creaturæ. Patet consequentia, tum quia persona creata est quædam participatio increata personæ, tum etiam à fortiori, quia diuina natura est per se & essentialiter subsistens, & nihilominus secundum rationem ei

addi potest aliquid positium incommunicabile, quod relatiuum esse oportet propter perfectionem Dei, in quo nihil absolutum potest esse omnino incommunicabile. In creatura vero natura non est per se & essentialiter subsistens, cum in Christo assumi poterit sine propria subsistentia: ergo multo magis poterit ei addi aliquid positium, quo realiter subsistat, quod licet absolutum sit, sit incommunicabile propter suam imperfectionem, & ita constituat suppositum, id est, rem incommunicabiliter subsistentem.

Secundo ostenditur falsa illa sententia ex mysterio Incarnationis, & primo ex parte Verbi, quia nisi Verbum constitueretur positium personalitate seu subsistentia, non posset intelligi, quod extrinsecam naturam ad illam assumeret, quia non potest assumi natura ad negationem aliquam, negatio enim velle, non potest esse formalis terminus vnionis realis, vt per se notum est: abstracte ergo ac præcise loquendo de personalitate, necessarium est, vt eius ratio sit positium ad intelligendum Incarnationis mysterium. Ex quo valde probabile sumimus argumentum simile præcedenti, etiam personalitatem creatam in ratione positium positam esse. Et efficacius argumentari possumus ad hominem contra Scotum, & Nominales: ipsi enim tenent posse fieri diuinam virtutem, vt suppositum creatum alienam naturam terminent: quito ergo an eo casu posito terminetur ad negationem, vel ad positium aliquod. Primum dici non potest, vt probatum est. Si autem dicatur secundum, necesse est etiam fateri illam vnionem terminari ad substantiam & personalitatem, alioquin non esset vnio hypostatica vel personalis: ergo substantia & personalitas creata est aliquid positium. Et confirmo ac declaro vim huius rationis, & interrogo, an in Christi humanitate sit nunc illud positium, quo persona creata (secundum hos auctores) potest terminare alienam naturam, nam si non est, ergo iam deest humanitati Christi aliqua ratio realis positium, quam addit persona creata supra naturam, & per illam formaliter constituitur in esse personæ. Si vero illud ipsum quidquid sit, est in Christi humanitate, sequitur in primis, quod vel in Christi humanitate est substantia creata, vel quod vnio hypostatica non sit ad substantiam, vtrumque autem absurdissimum est. Sequitur deinde humanitatem Christi posse per se ipsam terminare vnionem hypostaticam alterius naturæ, supposito quod persona creata posuit illam terminare. Patet sequela, quia illa humanitas retinet omnem rem positium, ad quam potest talis vnio terminari. Consequens autem est plane inintelligibile suppositis principis fidei: nam quod non est persona creata, nec personalitatem creatam habet, quomodo potest personam creatam constituere? Vnde talis vnio, non esset immediate inter naturam & personam, sed inter naturas substantiales & completas, quod repugnat substantiali vnioni, iuxta doctrinam Patrum & Conciliorum.

Respondendum fortasse, humanitatem Christi factam esse ineptam ad terminandam aliam naturam per vnionem ad Verbum. Sed hoc dici non potest consequenter, si per illam vnionem nulla re posita priuata est: quid enim impedit vnio, si non impedit, vel aufert rem, quæ posset esse ratio terminandi? Nam, si solum aufert negationem actualis dependentiæ, hæc impericiens est ad terminandam alteram naturam, quia terminatio non fit per negationem, sed per positium, vt diximus. Possumus quidem mordicus dicere, illam negationem esse conditionem sine qua non: tamen hoc refugium est aperta petitio principii, & est gratis dictum, quando non redditur ratio talis necessitatis. Hanc autem rationem nos esse dicimus, quia vnio impedit propriam personalitatem positium, quæ est ratio constituen-

di personam creatam, vel propriam, vel etiam alienam, si possibile sit ut natura aliqua à creata persona aliena terminetur.

Tertio argumentor ad idem ex parte humanitatis assumptæ: docent enim Concilia, & Patres, Verbum assumptisse humanitatem, & non hominem, seu non personam creatam hominis: & eodem sensu aiunt, Verbum assumendo humanitatem, con-sumptisse personam, non naturam. Huiusmodi autem locutiones non possunt legitime exponi, nisi quia in homine præter naturam humanam est aliquid reale, quod complet rationem personæ, quod impeditum est in Christi humanitate per vnionem Verbi, suppleto Verbo in illa natura personalitatem humanam: ut loquuntur Theologi. Alioqui solum dicerent Concilia, Verbum assumendo humanitatem, impediuisse seu abstulisse negationem vnionis, vel cum dicunt non assumptisse personam, solum dicerent non assumptisse naturam, quæ manifeste sine vnione, qui sensus reddunt vanas & ridiculas grauissimas Conciliorum locutiones. Confirmo viam huius rationis, nam sequitur ex opinione Scoti etiam Verbum ipsum ut sic, post vnionem non esse personam, sed solum compositum ex natura humana & Verbo, quod est aperte hæreticum. Sequelam probō, quia in humana natura manet omnis res, & omnis modus realis, qui est in creata persona, & tamen desinit esse persona solum quia vnitur: ergo è contrario Verbum quia vnitur, non erit persona, etiam si nulla re vel modo reali priuetur.

Dicent, humanitatem desinere esse personam, non quia vnitur utcumque, sed quia vnitur ita ut pendeat à verbo, cum tamen Verbum non pendeat ab humanitate. Sed iuxta hanc sententiam dici non potest, quod humanitas pendeat à Verbo vilo modo in esse suo: quia illa humanitas ad existendum nihil ultra requirebat præter entitatem suam: unde si vnione careret, nulla addita causalitate aut realitate: conseruaret suum esse, quia per solam negationem vnionis habet quidquid necessarium est ad subsistendum in suo esse, ut ipsi etiam fatentur: ergo non humanitas, sed compositum ex humanitate & Verbo pendet à Verbo: & ad summum humanitas vnita, vel potius vnio eius pendet à Verbo: sed hoc etiam suo modo dici potest de Verbo ut vnito, scilicet, quod quantum ad illam formalem denominationem pendeat ab humanitate. Fateor quidem hanc intercedere differentiam, quod vnio est aliquid in humanitate, non autem in Verbo. Sed hoc quid refert, ut auferat denominationem personæ cum maxime illa vnio secundum Scotum solum sit quædam relatio realis. Ut autem illa euasio tollatur, iungamus huiusmodi vnionem inter res creatas, siue illa sit impossibilis, siue possibilis, ut ipsi credunt: ponamus ergo Petrum terminare naturam Pauli, tunc ergo cum vtrumque extremum sit creatum, ex hac parte nulla est ratio, ob quam vnio potius sit aliquid positium: vel relatio realis in vno extremo quam in alio. Rursus tota entitas positiua quæ antea erat in extremis, ita manet post vnionem in vno sicut in alio. Deinde ex vi vnionis neutrum pendet ab alio in esse suo, & vtrumque ab inuicem pendet in vnione. Quæ ergo ratio asserri potest, ob quam post talem vnionem potius censeatur manere persona Petri quam Pauli? aut cur non mutuo persona consumeret personam, cum ab utraque tollatur negatio dependentiæ quoad vnionem? Vnde non magis potest dici Petrus assumere naturam Pauli, quam è conuerso. Nec denique explicabile est, qualis esset illa substantialis vnio: huc enim tendit tota vis huius rationis, quam alia via sic declaro.

Quarto igitur argumentor, nam ex prædicta opinione sequitur, humanitatem Christi esse tam

Tom. II. Metaphys.

completam substantiam omni ex parte, sicut est persona Pauli vel Ioannis. Hoc patet, quia substantia in genere substantiæ non completur per negationem: humanitas autem illa nihil minus habet quam persona Petri nisi negationem quandam: ergo non est minus substantia completa quam persona Petri: quod vero illi sit aliquid additum, non tollit complementum eius: nam res non fit incompleta per additionem, sed per ablationem: nam per additionem potius fit plusquam completa, si ita licet loqui. Ex hoc autem sequitur vterius, non posse intercedere substantialem vnionem inter talem substantiam, & aliam omnino completam: in hoc enim maxime verum habet illud axioma, ex duobus entibus in actu omnino scilicet completis, & perfectis, non fieri vnum per se: nam si vtrumque componentium in genere substantiæ completum & integrum est, & per vnionem nihil amittit, quod necessarium sit ad illud complementum, intelligi satis non potest, quo modo substantialis vnio inter ea fiat, & ad constituendam substantiam per se vnam ordinetur. Alioqui nulla ratio reddi potest, ob quam inter personas non possit immediate intercedere substantialis vnio, & similiter inter naturas substantiales & completas ut naturæ sunt: tota enim ratio est, quia cum sint completæ in sua ratione, nec naturæ possunt vniri ad complendam vnam naturam, nec personæ ad componendam vnam personam: ergo in vniversum duæ substantiæ omnino completæ, non possunt substantialiter vniri ad vnam substantiam complendam.

Quod si forte Scotus neget humanitatem esse substantiam completam solum ex eo, quod careat negatione dependentiæ, efficitur plane iuxta sententiam eius, hanc negationem esse de ratione substantiæ completæ: quod absurdissimum esse constat, quia negatio ut negatio nihil est: & ideo esse non potest de complemento substantiæ. Ex quo tandem potest ostensua ratio contra Scotum desumi, nam id quod addit suppositum creatum indiuiduæ naturæ creatæ est de perfectione & complemento substantiæ creatæ, ergo non est mera negatio sed positium aliquid, quia negatio non dicit perfectionem, sed supponit. Antecedens vero probatur primo ex dictis, quia id pertinet ad rationem substantiæ completæ. Tum ex Aristotele dicente, primam substantiam esse maxime & perfectissime substantiam, prima autem substantia non dicit solam naturam, sed suppositum naturæ. Tum denique, quia suppositum addit naturæ substantiam, ut ex principiis fidei constat: ideo enim humanitas Christi persona non est, quia substantiam creatam non habet, substantia autem magis dicit perfectionem. Nam si in sola negatione consisteret, quo modo posset natura ad subsistendum assumi, aut substantia propria per alienam suppleri?

Vltima ratio sit, quia negatio quasi intrinseca, & inseparabilis ab aliqua re semper fundatur in aliqua ratione positiua: & hac ratione ipsemet Scotus docet indiuiduum addere aliquam positiuam differentiam speciei, quia illa indiuisio seu incommunicabilitas, quæ est de ratione rei singularis, in aliquo positio fundatur: ergo illa negatio seu incommunicabilitas, quæ est de ratione suppositi, fundatur in aliquo positio, quo formaliter suppositum constituitur. Responderi potest ex Scoto, hanc negationem, quam dicit suppositum, esse quidem inseparabilem à supposito ut suppositum est, quia suppositum sub hac voce, & conceptu illi correspondente, formaliter negationem includit, non tamen esse inseparabilem ab illa re, quæ naturaliter habet coniunctam illam negationem, ipsa integra manente: quia substantia humanitatis, licet naturaliter habeat coniunctam negationem dependentiæ ab alio supposito, tamen nihil etiam habet illi repugnans, ideo-

XVI.

XVII.

ideoque supernaturaliter potest illa negatio care-
re, & ideo necesse non est ut talis negatio in aliquo po-
sitivo fundetur. Quia negatio, quæ non est omnino
inseparabilis à re, non semper fundatur in aliquo po-
sitivo, ut carentia visionis beatæ, quam habet intel-
lectus creatus ex natura sua, non fundatur in po-
sitivo, cum auferri possit nullo ablato positivo,
quamquam si una voce significetur intellectus, ut
existens sub tali negatione, inseparabilis sit negatio
ab illo adæquato significato, quia si separaretur, iam
non maneret illud significatum. Sicut ab aere tenebroso ab-
solute est separabilis negatio lucis, & ideo illa nega-
tio non fundatur in aliqua positiva forma repugnante
luminis: ab aere autem tenebroso, ut tenebrosus est,
non est separabilis illa negatio, quin amittat esse te-
nebrosus: sic ergo philosophatur Scotus de supposito
ut suppositum est, & de re illa cui adiuncta est negatio
quam suppositum formaliter dicit. In qua responsio-
ne loquitur quidem consequenter, tamē contra eam
procedunt omnia superiora argumenta. Et præterea
sequitur suppositum esse quoddam ens per accidens
sicut tenebrosus. Ex quo etiam in rigore sequitur
hoc nomen *suppositum*, esse quali connotativum, & de
formali dicere negationem, de materiali autem rem,
cui convenit talis negatio sicut tenebrosus. Vnde
sicut absolute concedimus tenebrosus aerem posse
illuminari, & animam separatam posse uniri corpori,
quia esse separatam dicit solam negationem, ita co-
cedendum esset simpliciter suppositum posse assumi
vel uniri alteri: hoc tamen ultimum consequens est
contra omnes Theologos, imo contra Conciliorum
doctrinam.

XVIII.

Quod si dicatur in prioribus locutionibus fieri
sensum divinum, in hac vero ultima fieri sensum co-
positum, hoc ipsum est manifestum indicium, *suppo-*
situm, non significare de formali negationem sicut
separatum aut *tenebrosus*, sed significare positivam for-
mam constituentem suppositum, & fundantem illam
negationem, ob quam suppositum dicitur in-
assumptibile, seu incommunicabile. Ob hanc e-
nim causam, cum dicitur suppositum non posse as-
sumi, non significatur assumi non posse cum nega-
tione assumptionis, seu manens separatam: quis e-
nim hoc posset cogitare sed significatur, non posse
assumi cum illo positivo quo constituitur in ratione
suppositi, & nisi ita interpretemur, ridiculæ sunt hu-
iusmodi locutiones, ut supra dicebam: perinde enim
esset ac si quis diceret, animam separatam non posse
uniri corpori, intelligens non posse uniri manentem
separatam. Illa ergo negatio incommunicabilitatis, cui
repugnat separari à supposito ut suppositum est, non
est inseparabilis propter solum sensum compositum
ut sic dicam, sed quia fundatur in aliquo positivo,
quod formaliter constituit suppositum, & inassum-
ptibile reddit.

XIX.

Fundamen-
tum sententia
diffinitur.

Ad fundamentum ergo contrariæ sententiæ, ne-
gatur suppositum creatum sufficienter constitui ne-
gatione, quid vero sit hoc positivum, quod suppo-
situm addit naturæ, dicemus in sequentibus. Nunc ve-
ro fatemur, non esse materiam, neque formam, ne-
que compositum ex illis ut sic, sed aliquem modum
vel entitatem ei superadditam, quam vel Aristote-
les non comprehendit sub illa divisione, quia illam
non cognovit, vel ad illa membra reducit tan-
quam modus illorum, vel totius compositi, ut po-
stea declarabimus. Quod vero attinet ad mysterium
Incarnationis, responderetur, non solum non esse in-
conveniens, verum potius esse necessarium ad ex-
plicandam veritatem illius mysterii, quod Verbum
non assumpsit in humana natura aliquam ratio-
nem positivam constitutivam personæ, siue illa sit
res omnino distincta, siue modus tantum. Ex quo
non sequitur illam naturam esse imperfectam in es-
se naturæ, sed tantum sequitur non esse personam,
Et ita intelligendum est, quod Damascenus ait, nem-

pe assumpsisse Verbum quicquid ad veritatem huma-
næ naturæ pertinet, & ad formalem hominis constituti-
onem, non vero quod spectat ad personam crea-
tam ut sic. De quo etiam fatemur, aliquid fuisse addi-
tum de nouo humanitati Christi, si à Verbo separa-
retur ut posset subsistere modo connaturali. Neque
inde sit eam nunc esse violentem, cum nobiliori mo-
do sit supposita. Quæ omnia latius in proprio loco
prosecuti sumus.

Questionis resolutio.

EX his ergo præsentis sectionis resolutio colligi-
tur, nimirum, suppositum creatum addere natu-
ræ creatæ aliquod reale positivum, & in re ipsa di-
stinctum ab illa. Quocirca si comparemus suppo-
situm ad naturam, distinguuntur tanquam includens
& inclusum, nam suppositum includit naturam &
aliquid addit, quod personalitas, suppositivitas, aut sub-
sistentia creatæ appellari potest, natura vero ex se præ-
scindit ab hoc addito seu à subsistentia. Quo fit ut na-
tura possit de potentia absoluta sine subsistentia co-
servari, suppositum autem totum non possit conser-
uari sine natura, quia illa formaliter includit, & per
illam in esse talis substantiæ essentialiter constituitur.
At vero comparando subsistentiam ipsam ad natu-
ram, condistinguuntur inter se tanquam duo extre-
ma componentia suppositum creatum. Quanta vero
sit hæc distinctio, & quid hæc substantia sit, de-
clarandum superest.

SECTIO III.

An distinctio suppositi à creatura fiat per accidentia
vel principia individuantia, & ideo locum non
habeat in substantiis spiritualibus.



IN hac sectione occurrit tractanda ter-
tia opinio in hac materia, quam docu-
isse videtur D. Thomas in illo difficili
articulo tertio, quæst. 3. p. vbi inquirit an sit idem Deus, quod sua essentia
vel natura. Et in summa respondet in rebus compo-
sitis ex materia & forma distinguuntur naturam & sup-
positum, quia natura solum in se comprehendit ea
quæ cadunt in definitione speciei, non vero materiam
individualement cum accidentibus designantibus illi
suppositum vero materiale includit hæc omnia, &
ita distinguitur à natura. In substantiis vero, quæ ex
materia & forma componuntur, quia materiam
individuantem non habent, suppositum non differt
à natura, sed ipse formæ sunt supposita subsistentia.
Et ex hac sola communi ratione concludit, Deum
esse suam Deitatem, quod eodem modo posset de
quouis angelo creato concludere. In hac ergo senten-
tia duo puncta in titulo insinuata breviter tractanda
occurrunt. Primum est an id quod suppositum addit
naturæ, sit accidens aliquod, vel ipsa differentia indi-
vidualis. Secundum est, an hæc distinctio naturæ, &
suppositi communis sit omnibus suppositis creatis,
etiam immaterialibus.

Addatæ suppositum naturæ individuantia
conditiones.

CIRCA priorem partem Sancti Patres inter dum
asserere videntur, suppositum addere naturæ
singularitatem seu individuationem, vnde aiunt
suppositum includere singulares proprietates, quas
non includit natura. Ita loquitur Basiliius in epistola
ad Gregor. de differentia naturæ & Hypostasis: &
Damascenus lib. 3. de fide cap. 4. & 6. Verum tamen si
considerentur ea: quæ in principio sect. præced. ex-
plican-